

*negatur, id etiam de specie affirmari vel negari est necesse:*

Ut, Omne corpus vivens habet facultatem nutriendi. E. & animal. Metallum non est corpus vivens. E. nec aurum. Excipe ea, quæ prædicantur de genere ut genus est: putà, esse universalius specie, esse materiam in definitione. e. g. Animal est genus. Socrates est animal. Ergò Socrates est genus. Et in tali syllogismo major non est universaliter vera. Est enim quoddam animal, quod non est genus, nempe singula animalia. Alii sic enunciant canonem: *Quodcumque prædicatur de genere, prædicatur etiam de specie & individuo: Et, quod non convenit generi, non convenit speciei.*

*2 Cui tribuitur genus, eidem & species tribuatur oportet, sed indeterminatè:*

Ut, Est animal. Ergò est vel homo, vel brutum. Est peccatum. Ergò vel originale, vel actuale. Adjeci regulæ limitationem hanc, *sed indeterminatè.* Aliàs enim à genere ad speciem tantùm negativè ducitur argumentum, juxta canonem: *A genere ad speciem non valet consequentia affirmando:* ut non sequitur, si est animal, est asinus: si est habitus, est ars.

*3 Remoto genere removentur species:*

Ut, Nulla opera justificant. E. nec monastica. Papa ne episcopus quidè est. E. nec catholicus seu generalis episcopus.

*4 Positâ specie ponitur genus:*

Ut, Est homo. E. est animal. Vulgò dicunt: *De quo species affirmatur, de eo etiam genus affirmari necesse est.* Alii dicunt: *A specie ad genus valet consequentia affirmando.* Nam remotâ specie, non statim removetur genus: ut, Simia non est homo. Ergò non est animal. Logica non est scientia. Ergò non est habitus.

*5 De quo omnes species negantur, de eo etiam genus negari necesse est:*

Ut, Ullum metallum est corpus vivens; quia neque est planta, neq; animal. Sacramentum N. T. est vel baptismus, vel S. cœna. Extrema unctio nec est baptismus, nec S. cœna. Ergò.

G g 3